

# De catechizandis rudibus

PRAEMISSIO:

CAPVT 1

COMPONENDI LIBRI OCCASIO

## 1.—*De tribus Deo gratias difficultatibus.*

- 1 Petisti me, frater Deo gratias, ut aliquid ad te de catechizandis rudibus, quod tibi usui esset, scriberem. Dixisti enim, quod saepe apud Carthaginem, ubi diaconus es, / ad te adducuntur qui fide christiana primitus imbuendi sunt, eo quod existimeris habere catechizandi uberem facultatem, et doctrina fidei et suauitate sermonis: te autem pene semper angustias pati idipsum quod credendo Christiani sumus, quo / pacto commode intimandum sit; unde exordienda, quo usque sit perducenda narratio; utrum exhortationem aliquam terminata narratione adhibere debeamus, an praecepta sola, quibus obseruandis cui loquimur nouerit christianam uitam professionemque retineri. 10
- 2 Saepe autem tibi accidisse confessus atque conquestus es, ut in sermone longo et tepido tibi ipse uilsceres essesque fastidio, nedum illi quem loquendo imbuebas, et ceteris qui audientes aderant: eaque te necessitate fuisse compulsum, ut ea me quam tibi debeo caritate compelleres, ne grauarer inter occupationes meas tibi de hac re aliquid scribere. 15

## 2.—*Augustinus, respondens, caritatem Ecclesiae debitam offert.*

- 3 Ego uero non ea tantum quam familiariter tibi, sed etiam quam matri ecclesiae uniuersaliter debeo, caritate ac seruitute compellor, si

3) 1 Pet 4, 10.

1) a me V H D B Lou 13) audierant H.